Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Licet sabbato curare. At illi tacuerunt. Quod dicitur respondisse ihesus ad hoc respicit
quod premissum est. Et ipsi obseruabant eum. Dominus enim nouit cogitationes
hominum. Sed merito interrogati tacent. qui contra se dictum quicquid
dixerint uident. Nam si licet sabbato curare. quare saluatorem an
curet obseruant. Si non licet. quare ipsi pecora sabbato curant.
Ipse uero apprehensum sanauit. ac dimisit. Puida dispensatione
dominus ante legis peritos et phariseos ydropicum curat. et mox contra auaritiam
disputat. ut uidelicet per huius egritudinem corporis in illis exprimo
xi. retur egritudo cordis. Deniquo post multa disputationis eius hortamenta
subiunctum est. Audiebant autem hec omnia pharisei qui erant auari. et
deridebant eum. Ydropicus quippe quo plus biberit eo amplius sitit. et omnis
auarus sitim multiplicat. qui cum ea que appetit adeptus fuerit. ad
appetenda amplius anhelat. Et respondens dixit ad illos. Cuius uestrum
asinus aut bos in puteum cadet. et non continuo extrahet illum die sabbati.
Sic obseruatores suos phariseos conuincit. ut eosdem etiam auaricia condemnet.
Si uos inquit in sabbato asinum aut bouem aut aliud quod libet animal
in puteum decidens eripere festinatis non animali sed uestre auaricie con-
sulentes. quanto magis ego hominem qui multo melior est pecore de
xii. beo liberare. Congruenter ydropicum animali quod decidit in puteum
comparauit. [illegible] sicut illam mulierem quam decem et uiii.
annis alligatam dixerat. et ab eadem alligatione soluebat. comparauit
iumento. quod soluitur. ut ad aquam ducatur. Et bene utroque loco bouem
et asinum posuit. quia sapientes quoque et ebetes [illegible] ut supra dictum est.